

CHRISTIANI WILDVOGELII,

IVRECONSULTI CELEBERRIMI,


TRACTATIO IVRIDICA,

DE

IVRE PRINCIPIS


EMINENTI

CIRCA POSTAS,



GERMANIS:

Von der Post-Gerechtigkeit der Stände des H. Röm. Reichs, und der dabey vorkommenden Gerichtsbarkeit.



OLIM IENAE D. VI. OCT. A. MDCCV, EDITA.



IENAE,

PROSTAT APVD I. B. HELLERVM, 1755.

DIE KUNST DER
 ANATOMIE
 VON
 JOHANNES WILHELMUS VALERII
 ANATOMIA
 TAB. I.
 TAB. II.
 TAB. III.
 TAB. IV.
 TAB. V.
 TAB. VI.
 TAB. VII.
 TAB. VIII.
 TAB. IX.
 TAB. X.



PROST. AMST. B. N. ERVM, 1772



I. N. D. N. I. C.

THESIS I.



Inter Regalia Principum, quæ
vigore superioritatis territori-
alis iisdem competunt, recte
etiam *Jus Postarum Provincialium*
refertur. Schwed. *Introd. in Jus Publ. Part. spec.*
Sect. II. cap. 15. §. 9. Evincit hoc ipsum non so-
lum amplitudo, vis ac ratio analogicæ majestatis,
qua Principes Imperii splendent, & jurium inde de-
pendentium, intuitu quorum similem cum Impe-
ratore, imo in nonnullis causis majorem, in suis
territoriis potestatem exercere possunt. Strauch.
A 2 *Dissert.*

Dissert. de Curs. publ. angar. & per angar. cap. 1. n. 2. & seqq. Sed etiam hoc jus per continuatam quandam Principum possessionem jam ita est illis confirmatum, ut ulterius de facultate atque exercitio Regalis hujus juris Statibus competentis, disputare, sacrilegii instar videri possit. *Fritsch. Part. II. Elect. Jur. Publ. cap. II. n. 4.* Et quamvis expressa quædam hujus juris concessio in Instrumento Pacis, Capitulationibus aut Recessibus particularibus non extet, tacite tamen inest Superioritati territoriali, nec non juribus commerciorum indultis, cum ad hæc stabilienda plurimum Postæ conducant. Neque alia causa subesse videtur, ob quam expressa hujus juris concessio fuerit omissa, quam quod aut nunquam de eo Statibus fuerit controversia mota, tanquam ex naturali quodam territorii jure istis competente: aut quod ab initio illud ipsum rarius fuerit à Statibus usurpatum, & sic non satis accurate in id inquisitum; aut illud pactionibus demum munitum vel defensum fuerit. Est quippe Postarum institutum vix ante sesquiseculum ortum, ut proinde hoc olim una cum aliis Juribus Statibus conferri non potuerit. Innuat id ipsum non obscure Capitulatio Josephina *art. 34.* ubi jus Postarum Imperatori in ditionibus Statuum

um

um competens non refertur ad absolutam quamdam majestatem, sed eatenus declaratur, quatenus id usus aut possessio admittit, *verbis*: Daß Churfürsten, Fürsten und Ständen in ihren Landen und Gebiethen, wo dergleichen Keyserliche Postämter vorhanden, und hergebracht. &c. Ut proinde ubi hoc cessat, juribus Statuum territorialibus præjudicium nullum fiat, atque hinc exceptio illa causam & potestatem Statuum circa Postas plenius confirmet. *Mev. Part. I. dec. 102. Add. Emerani Accoldi Gründlicher Unterricht von dem aus Landes-Fürstlicher Hoheit herspringendem Post-Regal, c. 2. Schwed. Introd. in Jus Publ. Part. spec. Sect. I. cap. 18. §. 9.* Cumque præterea ministri Postarum ab Imperatore hinc inde dispositi Status Imperii indigne habuerint, Statuumque correspondentia ob deperditas sæpe vel retentas literas, vix tuta fuerit, veluti querelæ Statuum desuper in actis publicis habitæ testantur, non immerito hi proprias Postas provinciales in suo quilibet territorio instituerunt. *Vid. L. B. de Lyncker. in analect. ad Schwed. loc. cit.* Accedit, quod Postas in alienis versari manibus Reipublicæ sit damnosum, cum ita nocivæ personæ facile inveniuntur, que redditus ex provinciis subtrahi soleant, quod

ipsum perpeti, contra libertatem Statuum Imperii esse videtur. Conf. Excell. Ludwig. P. P. Hall. *Disput. de Jure Postar. hered. th. 7.*

Th. II. Complectitur proinde hoc Postarum Regale non tantum jus instituendi atque ordinandi Cursus publicos in cujuslibet Status territorio, iisque officiales præficiendi, sed etiam omnem curam, inspectionem, jurisdictionem ac potestatem, quæ circa Postas & causas illarum tum publice tum privatim incidentes est necessaria. *Mev. P. I. dec. 102. n. 6. & seqq.* Idque non solum Imperatori, sed etiam Statibus in hoc amplissimo sensu competere, rationes in præcedenti thesi adductæ satis evincunt.

Th. III. Potest autem hæc ipsa Principum circa Regale Postarum potestas non incongrue ita dividi, quod alia sit *ordinaria*, alia *extraordinaria*. Illa ordinario modo vi superioritatis datur, & juxta Recessus, aliasque leges fundamentales, concessionem ac privilegia definitur; Hæc vero extra ordinem propter ingruentes singulares belli vel pacis casus ex dominio quodam eminenti competit. Non enim tam arctos principali potestati limites statuere debemus, quos illa egredi nequeat; cum certum sit, Statibus ac Principibus plus quodammodo

modo potestatis tribui in suis territoriis, quam Imperatori in Imperio, cum hic ad Capitulationem sit adstrictus, isti vero illimitatam potestatem exercent, nisi quatenus hæc Reversalibus ac pactis statuum provincialium restringitur. Stryck. *in Usu modern. ff. Præfat. §. 41.*

Th. IV. Verum, cum de ista quidem potestate Principis ordinaria circa Postas satis fuse scripserint juris publici interpretes, ut proinde addere iisdem aliquid velle, vel quædam mutilata decerpere, injuriosum videri posset: alteram illam potestatem Principis extraordinariam, quæ non ita curate pertractata reperitur, circa negotia casusque Postarum expendemus, inquiraturi, quid Principi juxta Leges tum Imperii, tum naturales ac politicas licere possit.

Th. V. Vocamus hanc ipsam potestatem Principis *supereminentem* circa Postas, quo Gro- tiano vocabulo ipsum *jus eminentis* denotamus, quod datur domino territorii in casu necessitatis vel periculi depellendi causa, in res ac personas Postarum, illas detinendi, perquirendi &c. Sicuti enim nullum jus aut juris exercitium tam strictos ac determinatos limites recipit, ut illud aliquando propter evenientes varias casuum circumstantias, ad

ad potestatem quandam extraordinariam consue-
tis regulis non comprehensam extendere non liceat.
*Puffend. de Jur. N. & G. L. VIII. cap. 4. §. 7. Grot.
de J. B. & P. L. I. c. 1. §. 6.* Ita & circa Regale hoc
Postarum jus, multi sæpe casus incidunt, qui sepa-
rato quodam judicio ac decisione indigent, licet
illi caute propter juris exorbitantiam sint pertra-
ctandi.

Th. VI. Capimus porro hoc sensu voca-
bulum Postarum latius, non tantum pro Postis pu-
blice in territorio institutis, sed pro quocunque
cursu ac transitu per territorium, etiam privatorum
cura, sumtibus, ac usu facto. Quamvis enim hi
transitus ex jure commerciorum omnibus sint libe-
ri citra specialem permissionem, suprema tamen
directio atque inspectio ad Principem territorii
pertinet. *Add. Reinking. de Regim. secul. & eccles.
Lib. 1. Class. 5. cap. 6. n. 134.*

Th. VII. Esse vero hanc Principi potesta-
tem concessam ex pluribus causis demonstrari pot-
est. Prima est, cura viarum publicarum, quæ cum
aliquando singularem quandam protectionem ac
tutelam requirat, extraordinaria quoque potesta-
te superioris indiget, per quam illa expediatur, ma-
xime iis in casibus, ubi vel periculum in mora, vel
or-

ordinariam jurisdictionem implorandi locus non datur. Knichen. *d. Saxon. non provoc. jure. cap. 5. n. 103.* Ita ergo viarum cura cum Principibus nostratibus ac Statibus sit commissa, per Rec. Imp. *de anno 1555. §. Nachdem aber ein jeder Churfurst. It. de anno 1559. §. Damit denn die Obrigkeit.* Gail. *II. Obs. 64. Myns. V. Obs. 70.* merito & hoc protectionis postarum extraordinarium jus territorii dominis non est denegandum. Arnis. *de Jur. Majest. Lib. III. cap. 5.* Secunda causa est utile territorii dominium Principibus per investituram imperialem plenissime concessum. Hoc enim vi factæ generalis collationis ad omnia ea jura se extendit, quibus non speciatim per pacta, reservata aut leges est derogatum. Illustr. Dn. de Rhez. *Institut. Jur. Publ. L. II. t. 20. §. 1.* Ut hinc & hoc ipsum Postarum Jus Statibus in territoriis ipsorum competens ad casus ejusmodi extraordinarios sit extendendum. Cum reservata Imperatoris, quæ circa Postas prætenduntur, primo saltem ad Postas imperiales jam institutas ac usu receptas pertineant, non ad noviter in provinciis institutas, deinde ad casus saltem ordinarios referantur, non extraordinarios, quibus remedia à quolibet territorii domino sunt quaerenda. *Mev. Part. I. Dec. 102. n. 7.*

B

Th. VIII,

Th. VIII. Competit hoc Regale domino territorii, qui suprema jura territorii exercet. Nec opus est ad exercendam hanc potestatem actus quosdam possessorios anteriores demonstrare, quia ex ipso jure competit. Conf. Frantzk. *Lib. II. Resolut. 15. n. 4.* Idemque jus etiam ad sequestrem transire putamus, cum territorio cohæreat, & simul administrationem concernat, & sic possessorem sequatur. *arg. Clem. un. de sequest. possess. & fruct.* Multo magis ad illum pertinebit, qui sub pacto retrovenditionis territorium tenet: Modo utriusque plenissimus usus atque exercitium regalium simul fuerit commissum ab eo, qui jura talia in territorio habet ac concedere potest.

Th. IX. Sicuti vero Capitulatione invictissimi Imperatoris nostri Josephi *art. 34.* optime provisum, ne munera Postarum imperialium extraneis, sed subditis Imperii committantur. *Fritsch. in Comm. add. Capit. p. 161.* Ita quoque nec Principi territorii consultum existimo, ministerium circa Postas extraneo concedere: siquidem hoc pacto aliena jurisdictio facile in Principis territorio exsurgere, ipsiusque superioritas imminui ac labefactari posset. Tale quid autem in cive ac subdito metuendum non est, utpote in quem extraneus Prin-

Prin-

Princeps nullum jus vel jurisdictionem prætere
 valet. Atque hinc etiam jure feudi officium tali
 concedi posse exempla tum Imperatoris tum Sta-
 tuum apertissime declarant, uti accurate id dedu-
 xit Dn. Joh. Petr. Ludwig. *in dissert. de Jur. Postar.
 Hereditar.* An vero consensus Statuum provin-
 cialium à Principe ad hoc sit adhibendus? contro-
 verti hic posset. Nos ad leges cujusque regni ac
 reipubl. fundamentales respiciendum arbitramur.
 Quod si enim in illis libera Principi potestas admi-
 nistrandi sit concessa, consensu provincialium non
 erit opus: Sin vero per reversales ac pacta cum
 Statibus inita, administratio ad consensum Statu-
 um sit restricta, utique & in hoc jure regali transfe-
 rendo ipsum adhiberi debere necessum erit. Est
 autem ipsa hæc concessio strictæ interpretationis,
 unde in dubio ordinarium tantum regendi Postas
 jus translatum intelligitur, non vero extraordina-
 ria hæc potestas, quæ reservatis superioritatis terri-
 torialis annumeratur. Imo licet expresse conces-
 sa fuerit, non tamen private, sed subordinate,
 potestate Principis concedentis non penitus exclu-
 sa, data censetur, ad exemplum jurisdictionis à su-
 periore concessæ, quæ hujus concursum non peni-
 tus respuit. Dn. Struv. *S. J. F. c. 6. apb. 18. circa fin.*

Th. X. Exercet hanc potestatem Princeps vel ipse per Regimen suum seu Cancellariam ; vel per minores magistratus, Praefectos scil. aliosque ei rei praepositos. Et non solum in territorio immediate ejus jurisdictioni subjecto, sed & in districtu Nobilium aliorumque, quibus jurisdictionem patrimoniam feudi jure in aliqua loca concessit. Concessa enim licet jurisdictione, tamen illa in praerudicium superioris hujus regalis atque extraordinariae potestatis data non intelligitur, nec jurisdictione cum regali hoc postarum quicquam commune habet.

Th. XI. Coeterum & magistratibus municipalibus incumbit prospicere, ne mali aut suspecti homines per Postas civitatem intrent, atque hinc suspectas personas arrestare, easque deferre ad Principem possunt, imo tenentur.

Th. XII. Pertinet autem potestas haec Principum ac Statuum extraordinaria circa Postas non tantum ad Postas provinciales, sed etiam universales Imperii, territoria Statuum transeuntes ; atque in hoc ab ordinaria differt. Cum enim exercitium hujus juris saltem in casu necessitatis supponamus, haec vero saepius non permittat, ut ab ordinaria potestate judicis competentis expectemus auxilium ;
opus

opus omnino est, vicariam quasi summæ potestatis operam domino territorii concedere, ut proximum & præsentissimum salutis, tum privatæ tum publicæ, remedium quærere & adhibere possit: maxime cum Statibus jure Regalium protectio & jurisdictio in vias publicas communes, die gemeine Land- oder Kaiserliche freye Heer-Strassen, competat. *II. F. 56. Bocer. d. Regal. cap. 2. n. 144.*

Th. XIII. Ne quis autem hac abutatur potestate, certa sunt prænotanda requisita, quibus suppositis eadem non potest esse injusta. Primo, ut id exigat causa publicæ necessitatis vel utilitatis. Deinde, ut exercitium ejus repentino motu & quasi extra ordinem assumatur, quando nimirum ordinaria potestas aut deficit plane, aut periculum est in mora, id quod multis casibus contingere potest, prout docet *Frantz. II. Resolut. 15. n. 44.*

Th. XIV. Casus vero speciales, in quibus extraordinariæ hujus potestatis exercitium locum habet, respiciunt vel res territorium transvehendas, vel personas transeuntes. Hæ vero sunt vel ministri, die Post-Bediente, vel viatores, die Passagierer.

Th. XV. Circa viatores cursu publico utentes ad extraordinariam hanc Principis potestatem

tēmpotest referri (1) Jus conducendi, seu securita-
 tem per vias publicas euntibus ac redeuntibus præ-
 standi, quod vulgo das **Seleit**. Item **Seleits-
 Herrlichkeit** appellatur. Cohæret hoc jus regu-
 lariter territorio, & est pars jurisdictionis territoria-
 lis in vias publicas competentis. *Wesenb. Conf. 33.
 n. 3. § 10.* Adeoque conductus à Principe terri-
 torii est impetrandus, qui ad illum præstandum
 tum ex jure superioritatis ac tutelæ publicæ, tum
 ex tacito quodam contractu obligatur, qui ex re-
 ceptione teloniorum ac vectigalium publicorum
 exurgere videtur. *Knichen. d. Saxon. non provoc.
 Jur. n. 184. § seqq.* Quamvis nonnulli Electores
 & Principes ex præscriptione vel alio speciali jure
 id in aliorum districtu & territoriis, in via per pa-
 gos, oppida & villas acquirere possint. *Reinking.
 de Regim. Secul. & Eccles. Lib. 1. Class. 5. cap. 4. num.
 235.* ubi testatur Hassiæ Landgravios jus conducen-
 di habere per Wedderaviam, non attento, quod
 ad Electorem Moguntinum, Comites Solmenes,
 Hanovienses, Ilenburgicos &c. districtus & supe-
 rioritas territorialis istorum locorum pertineat.
 Debent vero illi, qui talem conductum impetrare
 volunt, eum mature petere, via, qua transaturi sint,
 manifestata, quod Electoribus quoque ad electio-
 nem

nōm Regis Romani proficiscētibz incumbit, jux-
ta *A. B. cap. 1. §. 16.* Soletque ille concedi vel lit-
teris tractatoriis, *Geleits-Brieffe, Paß-Porte,*
vel custodibus adjunctis. *Becht. de Secur. & Salv.*
Cond. cap. ult. Reinking. de Regim. Secul. & Eccles.
Lib. 1. Class. V. c. 6. n. 33. & seqq.

Th. XVI. Fluit ex hoc jure (2) Potestas co-
gnoscendi ac coercendi crimina circa conductum
commissa. *Knichen. d. Saxon. non provoc. jur. cap.*
§. n. 108. Et hinc jus inquirendi, persequendi ac
puniendi grassatores, qui curus publicos infestant.
Rec. Imp. de anno 1548. §. Ferner zu noch mehrerer
beständiger &c. Rec. Imp. de anno 1555. §. Nachdem
aber hiebevör. Quem in finem multis in locis a-
luntur Equites stipendiarii, vulgo *Musreiter*, ad
hoc deputati, ut viarum curam habeant, die das
Geleite bereiten. Imo permissum est, grassato-
res illos in alieno quoque territorio persequi & ap-
prehendere, ita tamen, ut judici illius loci ordina-
rio sistantur. *Rec. Imp. de anno 1559. §. So in solcher*
Nachteil. Myns. II. Obs. 28. Quod si proinde ali-
quis in itinere damnum à prædonibus passus est,
dominus territorii ad illud resarciendum tenetur.
Carpz. Pr. Crim. qu. 41. n. 58. & seqq. Myns. V. O.
70. Quod tamen fallit, si viator à via regia defle-
tat

Et ad insolita diverticula. Gail. II. Obs. 64. n. 12.
 Vel si non debito tempore iter faciat. l. 1. §. 18. ad Sc.
Syllan. aut vis latronum tanta fuerit, ut à domino
 territorii impediri nequeat. Gail. II. d. Obs. 64.
 Carpz. P. 2. qu. 91. n. 70.

Th. XVII. Sed quæritur hoc casu, an tem-
 pore belli Princeps peregrinantes cogere possit, ad
 equites illos, custodiæ gratia additos, recipiendos,
 & pensiones seu tributa eo nomine exsolvenda?
 Quod quidem negandum existimamus, quia as-
 sumptio custodum est res meræ facultatis, & sicuti
 in bello nemo à superiori compelli potest, ad salvas
 guardias, uti vocantur, ab hoste recipiendas, si ipse
 alio modo suæ securitati prospectum putet; Ita ne-
 que ad hanc custodiam recipiendam adigi quis
 potest, quanquam tunc dominus territorii de spo-
 lio eidem illato non teneatur. Carpz. P. 2. qu. 91.
 n. 61. Bocer. d. Regal. cap. 2. n. 154.

Th. XVIII. Sed num, vice versa, Magi-
 stratus, & conducentes operam suam itinerantibus
 denegare possit, si conductum præstitis præstandis,
 postulent? Quod negatur. Kœppen. dec. 37. n. 3.
 Magistratus enim ad securitatem viis publicis præ-
 standam ex officio obligatur, ut hinc denegare il-
 lam, legitime imploratus, non debeat, arg. l. con-
 gruit.

*gruit. 13. ff. de officio Praefecti Urb. Schurf. Cent. II.
Consil. 2. n. 2.*

Th. XIX. Ex hac porro Superioritate, quam Princeps in viis publicis exercet, promanat quaestio: An Princeps controversias inter peregrinantes ortas, in suo foro decidere possit, sine prorogatione jurisdictionis expressa? Vel, an potius viatoribus jus detur revocandi ad forum domicilii aut rei sitae? Prius affirmamus (1) ex consuetudine universalis Germaniae, quae permittit contrahentem in foro contractus convenire. *Gail. I. Obs. 40. item Lib. II. Obs. 36.* ut proinde ex hoc jure Princeps fundatam habeat in controversas jurisdictionem, si scilicet extra tempora privilegiata ibi praesentes deprehendantur. (2) Propter territorialem jurisdictionem, quam etiam in temporarios subditos, quales sunt transeuntes viatores, Princeps recte exercet. Atque hoc casu conventus aut ad satisfaciendum, aut praestandam cautionem de lite suscipienda atque solvendo judicato compelli poterit, si scilicet alia ratione actori non sit cautum; Judex enim cognitionis est etiam judex executionis, & frustranea esset cognitio, si deficeret executio.

Th. XX. Sed, an etiam res ad nos spectantes, quae in Postis publicis transvehuntur, arrestare
C liceat,

liceat, & territorii dominus arrestum contra illas decernere valide possit? disquiritur. Videtur equidem id negandum esse, propterea, quod res mobiles sequantur personam, ejusque ossibus adherere dicantur, ut hinc actio pro vindicando jure in illas res nobis competente, in foro domicilii rei sit instituenda. *arg. l. 35. §. 3. ff. d. hered. instit.* Veruntamen quod de mobilibus personæ inhaerentibus vulgo profertur, ad successionem tantum pertinet, ibique effectum suum exerit, in fundanda autem fori competentia minime attenditur. Actio quippe realis, quæ per arrestum quaeritur, non personam, sed rem, respicit, ejusque locum sequitur. *l. fin. C. Vb. in rem act. l. 24. §. fin. l. 38. ff. de judic.* Et quamvis nonnulli *d. l. fin.* ad res mobiles in aliquo loco permansuras velint restringere, tamen illa restrictio non est admittenda, cum lege non fundetur. *Sichard. in d. l. ult. num. 3. Zang. de Except. P. II. cap. 1. n. 95. Pfeil. Conf. 103.*

Th. XXI. Atque hoc quidem facilius admitti forte poterit, si extra causas Postarum quaestio super contractu vel arresto petito incidat: Quod si vero orta lis ipsam Postam ejusque exercitium, v. g. defraudatas litteras, vel res receptas restituendas concernat, dubitari posset, cui cognitio controversiæ

versæ

versæ hujus tribuenda sit? Videtur equidem Taxianæ hoc esse jurisdictionis; verum, propter privilegium primæ instantiæ quod Statibus Imperii in suis territoriis concessum est, harum quoque causarum cognitionem ad ordinarium judicium Principis vel Status, sub quo Reus domicilium habet, deferendam existimamus. Nec causæ ab his à Taxiano Comite avocari poterunt, cum is curam tantum & directionem Postarum imperialium ex speciali investitura teneat, per quam jurisdictioni aliisque juribus Statuum ordinariis minime censetur esse derogatum.

Th. XXII. Ex quo porro decisio quæstionis profluit? An privilegium de non-appellando illimitatum Electoribus ac nonnullis Principibus Imperii in suis territoriis concessum ad causas quoque Postarum pertineat? Id quod omnino affirmandum arbitramur. Quamvis enim Moguntinus Elector ex concessione Imperatoris protectionem ac patrocinium Postarum in Imperio sibi vindicet, imo & ipsi Taxii ministri immediate ab Imperatore dependere velint; Tamen neque illa Taxiana potestas, neque Moguntini auctoritas juribus territorialibus Statuum officere potest, nec impedire, quo minus ipsi supremam in Postas per-

provincias transeuntes, si causa ad illos deferatur, jurisdictionem exercere valeant, ne alias sub hoc prætextu aliena jurisdictio in Principum territoria inducatur. Sicuti & hæc ipsa ratio inter gravamina novissime Ann. 1690. contra Moguntinum exhibita continetur: *Es nehme sich Chur-Maynz der Protection über die Posten an; Unter deren Prætext Chur-Maynz eine Jurisdiction in anderer Churfürsten, Fürsten und Ständen Territoriis unvermerckt exerciren könne.* Vid. Pfeffing. L. III. *Comment. Jur. Publ. tit. 10. p. 127.*

Th. XXIII. Huc (3) pertinet jus detinendi Postas, die Posten anzuhalten, si justa ejus adsit causa. Differt vero hoc jus à Repressaliis Principi concessis in eo, quod hæc locum habeant (1) ob protractam vel denegatam civibus nostris justitiam à magistratu alterius loci desuper legitime implorato. (2) Inter externos saltem obtineant, non vero inter cives imperii, tam mediatos quam immediatos, cum hi invicem non via facti, sed juris in judicio camerali vel aulico injurias sibi illatas vindicare debeant. Burgold. *ad Instrum. Pac. Part. 3. Disp. 12. num. 2.* Schwed. *Introd. in Jus Publ. Part. Spec. Sect. 2. cap. 14. §. 10.* Hoc vero jus detinendi datur etiam in civem imperii ob damna licet sine inju-

injuria à magistratu ejus illata, propter publicam necessitatis, tum Imperii, tum territorii rationem atque ex jure quodam naturalis defensionis.

Th. XXIV. Ex eadem hac ratione Princeps prohibere potest, ne postis noctu aperiantur castella ac fortalitia; Etsi enim ex singulari privilegio Postis etiam de noctu ad signum inflati corniculi datum, portæ sint aperiendæ; hoc tamen ad portas solum oppidorum & minorum civitatum municipalium pertinet, non vero ad castella, & munita loca, quorum portas noctu manere clausas publicæ securitatis interest. Hornick. *de Jure Postar. cap. 18. theor. 17. § 18.*

Th. XXV. Hic porro inquirendum: An Princeps jus Postarum seu transvectionum privatis penitus interdicare & sibi soli ex jure quodam regali vindicare possit? Ad quod affirmative respondeamus: Si enim primam Postarum institutionem inde à temporibus Cyri expendimus, certe patet, equos ac veredarios regalibus impensis fuisse habitos, per quos itinera, nec non rerum ac personarum transvectiones consulto arbitrio Principum fierent. Brisson. *d. Persar. Princip. Lib. I. p. 147. § seqq.* Apud Romanos quoque cum antea subditorum impensis cursus publici fierent, postea quo-

C 3

run.

rundam Cæsarum benevolentia effectum est, ut onere hoc provincialibus remisso, fiscales cursus instituerentur. *tot. tit. C. d. Curs. publ. l. 2. C. de curios. & Station. Add. Turneb. Tom. III. Adversar. Lib. 29. cap. 12. pag. 189.* Cum ergo institutio Postarum primario a superioritate dependeat, atque à subditis non nisi ex conniventia & gratia superioris exerceatur, recte inde à Principe ad quæstus fiscales, suamque potestatem revocatur, non obstante præscriptionis usu. Hanc ob causam Bernenses in Helvetia cursum velocem per terras suas Genevam usque instituerunt, & aliarum civitatum tabellarios ea via, qua tamen longissimo tempore fuerant usi, prohibuerunt. Atque ex hac causa fundatam Princeps habebit intentionem contra hujus regalis possessores, ut titulum suæ concessionis, acquisitionis vel possessionis eidem edere teneantur, cum talia jura sine titulo à privatis possideri nequeant. Quapropter & Clapmarius jus Postarum inter arcana Status refert, nec illis sine discrimine vel incolis vel peregrinis uti licere contendit, ne sc. Cameræ Principum quæstus ex transvectionibus sperandus subtrahatur.

Th. XXVI. Conceditur proinde itidem Principi potestas diminuendi ac restringendi Postas,

stas, si illæ noxiæ existant reipublicæ. Ziegler. *de Jur. Majest. Lib. II. cap. 18. §. 27.* Ockel. *vom Post-Regal. cap. 6.*

Th. XXVII. Ex eodem supremo Postarum jure competit Principi potestas novas Stationes erigendi, diem horamque abitus ac reditus cursoribus præstituendi, modum veredariorum definiendi, nec non vias publicas mutandi, per quas compendiose Postæ transire possint. Hornick. *de Jure Postar. cap. 15. theor. 31. & cap. 18. theor. 9.* Tenenturque hoc casu subditi agros suos ad viæ publicæ usum dimittere, dummodo ipsis ratione pretii è publico satisfiat. *arg. l. 2. §. 3. ff. ad Leg. Rhad. d. jactu.*

Th. XXVIII. Ulterius quaeritur: An Posta Principi in suo territorio occurrenti cedere via teneatur? Quod affirmandum puto. Etsi enim Posta nemini regulariter cedere teneatur, tamen hoc de privatis tantum intelligendum, non vero de Principe, quippe cui, propter potestatem, quam habet in Postas, eminentem, hæc prærogativa debetur, ut, sicuti cursum detinere, imo penitus suspendere potest, ita multo magis Postæ ipsi è via cedere teneantur, in honorem & reverentiam superioritatis, maxime, cum per modicum hoc temporis

poris intervallum nihil remoræ negotiis publicis injiciatur. Sed an etiam Imperiales Postæ cedere debeant, dubium exinde videtur, quod ipsæ, utpote ab Imperatore institutæ, ab ejusdem auctoritate aliquid participant. Verum cum & Principes eminentem dignitatem suam ab Imperatore per investituram collatam habeant, eamque proprio quodam jure possideant, æquum omnino est; ut cursores isti nulla plane vel exigua prærogativa pollentes Principi cedant, eidemque viam vacuum aperiant. *arg. l. 2. C. d. offic. divers. judic. Conf. Feltmann. Dissert. Acad. de Vehic. sibi Obviis. thes. 14. & seqq.*

Th. XXIX. Ex eodem jure etiam Principi inspectio competit, ne quis sine ejus licentia cursu Postarum publico utatur, belli maxime tempore. *Menoch. d. A. J. Q. Lib. II. Cas. 229.* Atque ideo, licet hodie Postarum usus omnibus, etiam privatis, sine discrimine conditionis, ex naturali quodam transitus jure pateat, *l. 6. ff. d. J. & J.* neque ad eam rem, uti olim, speciali Principis concessione opus sit, interdum tamen commeanti & cursu hoc uti volenti præfectus stationis equum denegare potest, puta, si publicis usibus aut evectionibus ipsius Principis, qui supersunt equi, sint necessario
reler-

reservandi: Vel si Princeps extra ordinem jusisset, ne cui sine diplomate principali cursus copia fieret, quod maxime belli tempore fieri consultum est. Menoch. *loc. cit. inf. Felch. in Dissert. d. Curs. Publ. cap. 12.*

Th. XXX. Huc quoque pertinet jus interdicendi Novellas, neue Zeitungen zu verbiethen, dadurch Proditores, und heimliche Correspondenzen, zu verhindern. Item, ne vires nostræ hosti patefiant. Befold. *Thesaur. Pract. voce: Post.* Bœcler. *Not. Imp. Germ. lib. 4. cap. 1.* Fritsch. *in addit. nov. ad Limn. Jus publ. lib. 4. cap. 8. num. 267.* Sed quæritur: An Princeps mandare possit, ut falsæ Novellæ studio componantur vel disseminentur? Quod quidem in hostes injustum non est, cum illos fallere & falsis rumoribus circumvenire non sit illicitum. *l. 1. §. 3. ff. d. dol. mal. l. 26. ff. de captiv. & postlim. Voet. de Jur. Milit. cap. 1. n. 30.* Verum an id etiam in subditos liceat? dubium videtur, cum illorum interesse possit, scire tum statum regni, tum vires exterorum; Attamen neque his Princeps semper vera dicere obstringitur, si circumstantia temporis, regni &c. id exigat. Hinc recte cladem suorum Princeps suppressere potest, vel victoriam augere, tum ad accendendam subdi-

D torum

torum virtutem, tum ad deprimendam timiditatem, ex quibus affectibus totius sæpe reipublicæ salus aut ruina dependet. Fritsch. *de Novell. hodiern. usu & abusu cap. 3. n. 1.* Add. Puffend. *de J. Nat. & Gent. Lib. IV. cap. 1. §. 17.*

Th. XXXI. Sicuti vero detinendi Postas jus Principi est, ita & potestas extraordinaria quædam promovendi illarum cursum exactis angariis ac parangariis eidem non deneganda. *l. 1. C. de Curs. publ. & angar. & parangar.* Competit autem hoc jus exigendi illas præstationes angariarum vel parangariarum soli Principi vi superioritatis, non solum ob suam ipsis utilitatem, sed & ob publicam Imperii, salutis ac necessitatis causam, atque proinde etiam ad Postas celeriter promovendas. Frantzk. *Lib. II. Resol. 15. n. 38.* Schwed. *Introduct. in Jus Publ. Part. Spec. Sect. 2. cap. 15. §. 8.* Reliqui vero, sive sint cives sive extranei, non nisi potestate hoc à Principe territorii impetrata utuntur, *l. 3. C. de Curs. publ.* alias puniri possunt. *l. 6. C. d. t.* cum videantur quodammodo regalia Principis violare. Ex præsumta tamen Principis concessione præstationes istas recte exigunt Legati. *l. 6. C. d. t.* nec non illi, qui pecuniam publicam vel species publicas vehunt, v. g. annonam militarem.
Chri.

Christin. dec. 158. num. 17. Staffettæ quoque, ut vulgo vocantur, hanc habent exigendi licentiam. Menoch. d. ff. 2. Lib. II. Cas. 229. Debent autem hæ personæ jure hoc moderate uti, ita ut neque insolito itinere, l. 2. C. d. curs. publ. neque subditi immodico onere, aut cursu, neque jumenta nimium flagellis afficiantur. l. 8. l. 12. C. d. t. alias utentes de periculo tenentur. Brunn. ad d. t. C. de curs. publ. n. 17. & seqq.

Th. XXXII. Præstandæ autem sunt hæ angariæ vel parangariæ ab omnibus & singulis, qui territorio subsunt, ibique prædia possident, ita, ut nec forenses, nec alias privilegiati excusentur. l. ult. l. 21. ff. d. muner. l. 10. d. vacat. mun. Schwed. loc. c. Quam in rem alleganda est *Discussio & Resol. Gravam. in Diæti Torgav. anno 1609. promulgata. art. 22. verbis*: Was folgendes der Post-Klepper halben Beschwerungsweise angezogen worden, ist Unsere Meynung nicht, daß diejenigen Râthe in Städten, welche Uns keine Post-Klepper zu halten verpflichtet, denen durchreisenden Post-Keu-tern, und andern verschickten Hofdienern, ob sie gleich richtige *Patenta* haben, Pferde vorzuziehen, schuldig seyn sollen. Da sie aber ie zuweilen bey Tag und Nacht eilen, und in Städten mit Klep-
D 2 perit

pern wechseln müsten, und die Schösser, sonderlich bey Nacht, sobald zu keinem Pferde kommen könnten, auf solchen äussersten Fall, wollen Wir Uns gnädigst versehen, die Ráthe werden es, auf Ersuchen den Schösser bey ihren Bürgern, die sonst uns Lohn Pferde halten, dahin richten, daß unsere Post-Reuter, (welche dessen in ihren Patenten ausdrücklichen Befehl haben) uns Lohn fortgebracht werden mögen, dagegen von denen Schössern ihnen das Lohn unverzüglich entrichtet, die Pferde auch mit einem Futter versehen, und zu rechter Zeit wieder zurück geschicket werden sollen. Conf. Tab. d. met. & epidem. P. II. cap. 3. §. 3.

Th. XXXIII. Ultimo huc referendum jus arrestandi personas viatorum: propter delictum vel alibi vel in territorio arrestantis patratum. Et hoc quidem in viatoribus privatis facilius procedit, utpote qui speciali exemptionis privilegio non sunt muniti, ut hinc ordinario jure coram iudice deprehensionis forum hoc casu sortiantur. At, num jurisdictio hæc in Præfectos quoque Postarum ac ministros ab Imperatore vel Comite de Taxis institutos se extendat? inter JCtos non ultimi nominis disceptatum novimus. Cum enim hæ Postarum
 statio-

stationes earumque Praefecti cum omnibus suis facultatibus totaque familia in singulari Caesaris ac imperii sint tutela, hinc eosdem Caesarem saltem in delictis ordinarium habere judicem, statuunt Hornick. *Tract. de Jur. Postar. cap. 15. theor. 6. 7. cum ibi allegatis*: Sed rectius in contrarium Mevius *Part. I. dec. 174.* asserit, eosdem delinquentes non esse necessario remittendos ad Caesarem sed à Statu imperii aliove, cui ibi est jurisdictio, secundum jus commune coerceri ac puniri posse: cum exemptio illarum personarum ad causas tantum civiles, non ad delicta pertineant.

Th. XXXIV. Circa ministros porro Postarum à Principe institutarum potestas ipsius extraordinaria se quoque exerit in facultate ordinandi ac removendi eosdem. *Mev. P. I. dec. 102. n. 6.* Quod jus tamen sub hac praecautioe plerique accipiunt, ne extraneo extra fines territorii degenti cura rei Postalis committatur; maxime si concessio fieret potentiori, quippe qui facile concessa potestate abuti, taxam de facto augere &c. & ita cum summo detrimento subditorum potestatem concessam exercere posset. Modo singularis forte necessitatis aut salutis publicae ratio aliud non svadeat. Atque hinc Status aegre tulerunt, talem translationem

nem Postarum in exterum factam fuisse, teste Bur-
gold. *in Addit. ad Instr. Pac. P. 3. disc. 12.* Et porro
ex actis aulae caesareae discimus, aus der Ablehnung
Ferdinandens Freyherrn von Paarn Oberhoff-
Postmeister, *contra Alexandrinam* Grafen von
Taxis, *presentat. d. 17. Sept. 1641. §. Der Reichs-*
Post halben, quod jam anno 1570. Maximilianus
II. Imperator à Statibus Imperii fuerit rogatus, ne
curam rei cursoriae exteris committeret: Haben
den Käyser ersucht und gebethen, das Postwesen
beym Reich zu behalten, denn Ihre Majestät
wären es auch, als ein Mehrer des Reichs, zu
thun schuldig, und könnten es Dero Nachfahren
zum *Præjuditz* in frembde Hände nicht kommen
lassen.

Th. XXXV. Ad Res pertinet (1) Jus confi-
scandi merces prohibitas. Etsi enim alias merces
tanquam res mobiles sequantur dominum ejus-
que domicilium, tamen cum hoc casu ex delicto
confiscantur, inde in quo loco fuerint deprehensa,
dum transvehuntur, ab ejus territorii Principe au-
ferri ac fisco suo vindicari possunt. Nec puto hanc
confiscandi potestatem civitatibus competere, li-
cet cum mero imperio investitis, cum hæc confisca-
tionis species sit extraordinaria, & confiscandi jus
pro,

proprie competat Principi superiori. Klock. *Vol. I. conf. 22. n. 1. 2. & conf. 23. n. 11.* Nisi jus istud inferiori quoque à Principe sit tributum, vel præscriptione quæsitum. *Capic. dec. 185. n. 34. Molin. d. consu. Paris. Tit. 1. §. 3. n. 170.* (2) Jus perquirendi Postarum sarcinas, die Felleisen zu eröffnen und durchzusuchen, si suspicio proditionis adsit; Quod si vero iter facientes non patiantur res suas perquiri, hoc ipso se reddunt suspectos, & poenæ arbitrariæ fiunt obnoxii. *Conf. Corset. Singul. 128. Christian. Decis. 156. & seqq.*

Th. XXXVI. Defenditur hæc potestas Principi remediis tum possessoris, tum petitoriis. Esse enim Status ac Principes in possessione vel quasi hujus regalis Postarum, experientia satis demonstrat. Quamvis hoc ipsis expressa Lege tributum aut confirmatum nondum sit; attamen ex libertate naturali & jure territorii, possessionem hujus juris jam longo tempore ante Postas cælarianas sibi vindicarunt. Qua de re videri possunt *Churfürstl. Collegii ausführliches Gutachten an Kaiser Ferdinandum II. sub Dato den 27. Jan. Anno 1637. verbis: Die Beschaffenheit des Postwesens betreffend, welches dahin gehet, daß denen Ständen des Reichs in ihren Territoriis, Krafft derer Regalien,*

galien, damit sie vom Reich beliehen, dießfalls Anordnung zu machen freyſtehe. *Add. Literæ Stat. Circul. Saxon. Infer. apud Fritsch. P. II. Elect. Für. Publ. cap. 11. n. 4.* Neque hæc ipla Statuum possessio per institutas Postas imperiales est sublata; quia sc. hæc primitus ad usum tantum comitiorum sunt institutæ: Damit man auch jederzeit, zu, und von den ersten der Nothdurfft nach, Bothschafft habe, wollen gemeine Stände Ordnung geben, daß derohalben eine Post, an gelegene Wahlstatt, gelegt und unterhalten werde; uti habet *Rec. Imp. de anno 1541. §. 45.*

Th. XXXVII. Datur hæc iurium defensio non solum contra subditos ac magistratus inferiores, qui in præiudicium superioritatis territorialis sibi quoddam circa Postas arbitrium in civitate sua arrogat: sed etiam contra Principes ac Status alios, qui sine speciali jure aut consuetudine talem potestatem in alieno territorio exercere volunt. *Mev. Part. I. dec. 102. n. 9. 10.* Et quidem contra subditos, qui Principem in possessione hujus juris turbare, aut cursus publicos quovis modo impedire conantur, interdicta pœnalia decerni possunt, advocato quoque filici actio contra tales turbatores recte conceditur. *Mev. loc. cit. Steph. de Jurisd. Lib. II. P. I. cap. 1. membr. 2. n. 110.* Th.

Th. XXXVIII. Quod si vero Princeps potestatem hanc injuste exercuerit, datur laesis jus querulandi apud Cameram, solentque eo nomine mandata vel cum, vel sine clausula extrahi. Est enim Postarum cursus atque securitas omni ratione conservanda, nec adversus istam territorii dominis quicquam per vim atque injuriam facere permissum est. *Mev. P. I. dec. 102. n. 7.* Inde & Postas arresto gravare atque a proseguendo cursu suo avertere vel detinere sine justa causa minime licet. Quin & si de facto id attentare ausus fuerit Princeps, damnum inde datum resarcire tenetur. Vid. Sebastianus Feschius *Dissertat. de Curs. publ. cap. 11. th. ult.*

I N D E X

RERVM PRAECIPVARVM.

- Th. I. n. 1. *Ad Regalia Principum pertinent Postae, pag. 3.*
 n. 2. *Probat ex natura concessae superioritatis territorialis, ibid.*
 n. 3. *Et longo temporis usu, p. 4.*
 n. 4. *Statibus hoc jus implicite est datum, ibid.*
 n. 5. *Ratio, quare expressa confirmatio deficiat, ibid.*
 n. 6. *Probat ex Capitulatione Josephina, ibid.*
 n. 7. *Exigente necessitate merito hoc jus receptum à Statibus, p. 5.*

E

n. 8.

I N D E X

- n. 8. *Ratio politica additur, ibid.*
- Th. II. n. 1. *Quid contineat Regale Postarum, p. 6.*
- Th. III. n. 1. *Potestas Principis circa Postas est duplex, ibid.*
 n. 2. *Ordinaria, ibid.*
 n. 3. *Extraordinaria, ibid.*
- Th. IV. n. 1. *Thema dissertationis proponitur, p. 7.*
- Th. V. n. 1. *Explicantur vocabula potestas eminentis, ibid.*
- Th. VI. n. 1. *Vocabulum Posta, quo sensu hic capiatur, p. 8.*
- Th. VII. n. 1. *Pertinet hac potestas ad Principem (1) propter curam viarum publicarum, ibid.*
 n. 2. (2) *Propter utile dominium territorii plenissime concessum, p. 9.*
- Th. VIII. n. 1. *Competit hoc Regale domino territorii, p. 10.*
 n. 2. *Transit ad sequestrem, ibid.*
 n. 3. *Ad eum, qui ex pacto anticar. & territorium possidet, ibid.*
- Th. IX. n. 1. *An extraneo possit munus postarum conferri, p. 10.*
 n. 2. *An subdito, ibid.*
 n. 3. *An Jure feudi, p. 11.*
 n. 4. *An consensus Statuum Provincialium requiratur, ibid.*
 n. 5. *Concessio hac est stricte interpretanda, ibid.*
- Th. X. n. 1. *Per quas personas Princeps hanc potestatem exerceat, p. 12.*
 n. 2. *An in districtu Nobilium, ibid.*
- Th. XI. n. 1. *Magistratus municipalis circa Postas officium, ib.*
- Th. XII. n. 1. *Competit hac potestas etiam in Postas imperiales, ibid.*
- Th. XIII. n. 1. *Requisita in exercenda hac potestate prae-notanda, p. 13.*

Th.

RERVM PRAECIPVARVM.

- Th. XIV. n. 1. *Distributio Casuum quibus potestas ista exerceatur, ibid.*
- Th. XV. n. 1. *Huc (1) pertinet jus conducendi, ibid. & seq.*
n. 2. *Conductus hic regulariter impetrandus à Principe territorii, p. 14.*
n. 3. *Quandoque in alieno territorio exercetur, ibid.*
n. 4. *Quomodo sit petendus, ibid.*
n. 5. *Quomodo concedatur, p. 15.*
- Th. XVI. n. 1. (2) *Potestas cognoscendi super delictis in viis publicis, ibid.*
n. 2. *An liceat grassatores viarum publicarum persequi in alieno territorio, ibid.*
n. 3. *Quatenus dominus teneatur damnum à latronibus datum, resarcire, ibid.*
- Th. XVII. n. 1. *An Princeps cogere possit ad equites illos recipiendos, p. 16.*
- Th. XVIII. n. 1. *An Princeps possit denegare conductum, ibid.*
- Th. XIX. n. 1. *An Princeps habeat competentem jurisdictionem in causas viatorum? p. 17.*
- Th. XX. n. 1. *An liceat res territorium Principis transeuntis arrestare? p. 17. & 18.*
- Th. XXI. n. 1. *Etiam de causis Postarum inter viatores Princeps recte cognoscit, p. 18. & seq.*
- Th. XXII. n. 1. *An privilegium de non appellando pertineat ad causas Postarum? p. 19.*
- Th. XXIII. n. 1. *Jus detinendi Postas Principi competit, p. 20.*
- Th. XXIV. n. 1. *An Princeps possit prohibere, ne portae Postis aperiantur, p. 21.*
- Th. XXV. n. 1. *An Princeps possit Postas interdicere, ibid.*

INDEX RERVM PRAECIPVARVM.

- n. 2. *Illustratur exemplo è republica Helvetica*, p. 22.
n. 3. *Privatus possessor titulum edere tenetur Principi*, *ibid.*
n. 4. *Refertur Jus Postarum ad arcana Status*, *ibid.*
Th. XXVI. n. 1. *Jus Postas diminuendi*, *ibid.*
Th. XXVII. n. 1. *Nec non stationes certas erigendi*, pag. 23.
n. 2. *Tenentur subditi agros ad viam publicam concedere*,
ibid.
Th. XXVIII. n. 1. *An Postas concedere teneatur domino territorii*,
ibid.
n. 2. *An imperialis Postas*, p. 24.
Th. XXIX. n. 1. *Potest Princeps usum Postarum denegare*, *ibid.*
Th. XXX. n. 1. *Jus prohibendi Novellas*, p. 25.
n. 2. *An Princeps falsas Novellas spargere possit?* *ibid.*
Th. XXXI. n. 1. *Princeps ad promovendas Postas recte anga-
rias ac parangarias exigit*, p. 26.
n. 2. *An etiam privati?* *ibid.*
n. 3. *Ufus illarum debet esse moderatus*, p. 27.
Th. XXXII. n. 1. *A quibus prestanda sint*, *ibid.*
Th. XXXIII. n. 1. *Jus arrestandi viatores ob delictum Principi
datur*, p. 28.
n. 2. *An etiam ministri Imperialis Postarum*, *ibid.*
Th. XXXIV. n. 1. *Penes Principem est facultas ordinandi &
removendi ministros Postarum*, p. 29.
n. 2. *Non debet extraneo cura Postarum committi*, *ibid.*
Th. XXXV. n. 1. *Jus confiscandi merces prohibitos*, p. 30.
n. 2. *Non habent civitates hoc Jus*, *ibid.*
Th. XXXVI. n. 1. *Remedia quae dantur ad tuendam hanc po-
testatem*, pag. 31.
Th. XXXVII. n. 1. *Contra quos datur haec jurium defensio*, p. 32.

SOLI DEO GLORIA.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

| | | |
|--|--|--|
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |

SLUB DRESDEN

3 1019217

